

sim commemorarentur, ita ut completioris florae Labradoricae initia fierent. Postquam enim sive geographicas plantarum, sive botanicas terrarum conditiones attentius considerare coepere, nullus terrarum angulus adeo miser atque abjectus est, cuius flora non aliquid tribueret, ad exornandam vastam illam, quam inchoavere, naturae vegetabilis imaginem.

In primis itaque inquirendum erat, ubinam quaeque stirps Labradorica et extra hujus florae fines cresceret, ubi crescere desineret. Nec me poenituit operae, quum mox adeo diversas esse diversarum stirpium areas deprehenderem, ut neque observatas esse memineram, neque ex notis caloris aërei varietatibus satis explicari posse arbitrabar. Quae ut melius in conspectum venirent, et ne quid opusculo meo deesse videretur, quod ut ad rem pertinens exspectaretur, botanicae parti geographicam, ambabus geographico-botanicam addidi, omnemque scribendi materiem, initio tenuem,